





*35* 1705, 5. 28  
EXERCITATIO PHILOSOPHICA, 30  
DE  
**JURE PRINCIPIS  
DISPENSANDI  
CIRCA LEGES PRÆCIPUE  
POENALES,**

Occasione Illustris controversiæ  
Anglicanæ,

Cujus postremam Partem  
Auspice DEO Optimo Maximo  
Sub PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,

**DN. JO. PHIL. PALTHENII,**

Historiarum & Moralium Professoris Regii Ordin.  
longe celeberrimi,

In Almae Pomeran. Auditorio Majori

ad diem Septembr. M DCCV.

Publicæ συμφιλοσοφίας disquisitioni

submitit

**JACOBUS BERNHARDUS FROBOESIUS, G.P.**  
H. Lq. C.

---

GRYPHISWALDIÆ,  
LITTERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
REG. ACAD. TYPOGR.

VIRIS STREBENTI

ILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS,  
ET MAXIME STRENUIS,

DN. FRIDERICO MEVIO,  
S. Regiæ Majestatis Sveciæ Tribuno Le-  
gionis Equestris, & Supremo Rei Venatoriæ Præfecto,  
Hæreditario in Zarrenthin, Baggendorff,  
&c.

DN. FRANCISCO MICHAELI  
DE BOLTENSTERN,  
Dicasterii Regii per Pomeraniam & Ru-  
giani Directori Amplissimo, Hæreditario  
in Altenhagen, Sehagen,  
&c.

Mæcenatibus, Evergetis ac Fætoribus  
omni pietate colendissimis,

Has pagellas Academicas  
ea, qva par est, submissione

dicatas vult

RESPONDENS.

§. 18.

Quemadmodum autem Rege populoque Anglico consentiente novæ leges feruntur, ita existimandum non est in veteribus forte legibus majori Regem facultate pollere, cum idem ad eas inviolate servandas in ipsa regni delatione juramento adstringatur, cuius consuetudinis origo ab ipso Conquestus Anglicani tempore deduci potest. Testis est enim *Mattb.*  
*Paris. in vit. XLIII. Mon. p. 30. presente Lanfranco Archiepiscopo Gvilielmum Conquiforem tacitissimis SS. Evangelis jurasse, bonas & approbatas antiquas Regni LL. quas sancti & pii Anglia Reges ejus Antecessores & maxime Rex Eduardus statuit inviolabiliter obseruare.* Observare autem legem hic non significat facere id qvod Lex jubet, sed penes subditos efficere, ut ad ejus præscriptum actiones illorum componantur. Ut mentem suam ipse Gvilielmus declarat apud *Lambard. in LL. antiquis. Hoc quoque, inquit, præcipimus ut omnes habeant & teneant legem Eduardi Regis in omnibus rebus &c.* Sic Henricus I. Legem, inquit, Eduardi vobis reddo (i. e. observandum vobis relinqvo) *cum illis emendationibus, quibus Pater meus eas emendavit consilio Baronum suorum, qui tunc quidem Concilium populi Anglicani repræsentabant.* Conf. *Hagulstad. p. 311. Sim. Dunelm. p. 225. Henr. de Knight p. 2374.* quos conjunctim editos debemus *Sommero Lond. fol. 1652. add. Rog. ab Hoved. P. I. p. 268. Cbron. Eccles. Ligbyfield. ap. Selden. in not. ad Eadmer. & Brompton. p. 1031.* Ut antiquiora mittamus hodiendum Angliæ Reges quando inaugurationis solennia peraguntur publice ad intemeratam latarum Legum custodiam juramento se obstringunt. Vid. *Krönungs-Actus*

E

bender

Heyder Maytt. Wilhelmi III. und Mariæ apud Beermann.  
 in Syntagm. Dignit. Illusfr. Dissert. VI. c. IV. n. II. ubi haec  
 habet: Worauf der Erz-Bischoff Sr. Maytt. fragte/  
 ob Er geloben und schweren wolte / das Volk von Engel-  
 land und alle dazu gehörige Herrschaften zu regieren  
 nach denen von dem Parlamente gemachten Statu-  
 ten und Gesegen des Königreichs? Darauf der  
 König antwortete: Ich gelobe solenniter solches zu thun.  
 Der Erz-Bischoff sprach ferner: Wolt Ihr euer bestes  
 thun/ die Geseche kräftiglich üben und exerciren zu las-  
 sen in allen Rechten? Darauf der König antwortete:  
 Ich wil / & paulo post: Die von mir versprochene  
 Sachen wil ich thun/ so wahr mir GOT helfe. Ubi  
 tamen notari meretur in posteriori proposita ab Archi-  
 episcopo qvæstionis membro mentem Historici Angli-  
 cani non satis Beermannus asseqvi. Anglice enim verba  
 ita concepta leguntur: *Wil you to your power cause Law  
 and Justice in mercy to be executed in all your judgments.* i. e.  
 Wolt Ihr nach Vermögen beschaffen/ daß Recht und  
 Gerechtigkeit mit Barmherzigkeit in allen euren  
 Gerichten ausgeübt werde. Qvæ verba nequaquam  
 otiosa sunt, sed concessum Regi jus aggratiandi tri-  
 buunt, cum prius ipsi membrum affectatam dispen-  
 fandi de Legibus facultatem adimat. Atque ea est  
 causa qvare de distinctis distinctè Rex interrogetur.  
 Priori loco de ipsa legislatoria facultate, posteriori de  
 executiva Legum potestate qværitur. Ad latae jam  
 leges simpliciter Rex adstringitur, circa ferendas com-  
 munem ut diximus cum Parlamento potestatem habet,  
 sed executio Legum absente præsertim Curia Parla-  
 menti

menti tota est penes Regem, ita qvidem ut in irrogatione pœnarum ubi singularior casus obvenerit judicio suo uti queat... Formula autem juramenti, qvod Gvilielmus Jacobi Successor præstítit, exacte cum ea convenit, ad qvam Jacobus ipse se adstrinxit.

§. 19.

Ex qvibus omnibus prona ratiociniorum seqvela inferimus, pessime Jacobo II. ab adulatoribus impositum fuisse, dum dispensatoriam ipsi facultatem competere libenter, ut fieri solet, qvod misere cupiebat credenti persuaderunt. Videbant mali inde proventuri seriem primarii de Clero Viri, & in tempore Regem ut isto errore desisteret hortabantur. Vid. *Orat. Arbit. Ep. Cantuar. in bistor. descrit. Jacob. p. 14.* sed ille pessimo suo fato monitoribus asper carceri eos mancipabat. Qui inter seculares Regis Consiliarios eminebat Sunderlandiaæ Comes aperte negabat dispensatoriam Regi facultatem adscribi prius posse, qvam absolutum ē limitato regnum & ex Anglicano Turcicum idem effecisset. Vid. *lit. ej. ad amic. ibid. p. 28.* Cum paulo post excensionem in Angliam Princeps Arausionensis faceret, inter potissima accusationis Regiæ capita temere hæc ab ipso usurpata dispensandi licentia, & primo qvidem loco posita referebatur, qvod utique factum non esset, ni speciosissimā hæc tanti exornandi conatus ratio visa fuisset. Negabat autem Princeps fieri ulla ratione posse, ut qvæcunqve LL. autorem simul Regem ac Parlamentum habeant à solo Rege laxari queant. Vid. *prim. ej. declarat. §. 3.* Cuin deniq; Regnum Jacobo profugo publica Ordinum autoritate abrogatur,

E 2

retur,

retur, inter præcipuas facti illius causas repositum id deprehendimus qvod Parlamento invito de LL. publicis dispensandi autoritatem sibi arrogasset, quam iterum iterumque competere ipsi negant, sed indubio jure ad Parlamentum (qvo Rex comprehenditur,) pertinere docent. Vid. *instrum. exauclorat. fact. XII. febr. 1689.*  
*§. 1. ibid. p. 125. seqq.*

*§. 20.*

Sed nihil tam falsum est, qvod non veri quadam specie adornari atqve venditari imperitis possit soleatqve. Videbimus ergo, qvid pro Jacobo qvondam Rege infelicissimæ cause patroni, quantum nobis qvidem intelligere datum fuit, in medium adduxerint. Possunt illi in duas classes dividiri, qvidam enim Regi infinitam circa omnes civiles Angliæ leges dispensandi facultatem tribuere veriti non sunt, alii ad certas leges certosqve circa eas emergentes casus restrictam dispensandi potestatem eidem adjudicare satis habuerunt.

*§. 21.*

Qui priori sententiæ favent argumentum (1) ducunt à natura summi imperii civilis, qvod in Anglia Regi competit, & inter potissimas partes uti legislatoriam, ita & circa leges dispensatoriam facultatem habeat. Sed respondemus: Qvanquam diversæ sint summi imperii civilis partes, ad constitutionem illius ita necessariæ, ut si aliqua earum omnino deficiat mancum inde atq; mutilum imperium evadat, necesse tamen non esse, ut omnes atq; singulæ ab omnibus, qvi id imperium habent, continuò exerceantur. Qvædam earum transitorii,

sitorii, quædam perpetui sunt usus, illæ semel & simul fiunt, haec ex intervallo atque iteratis vicibus locum habent. Atqui ad priorem classem legislatoria facultas pertinet, qua semel idoneis legibus formata civitas opus adeo non habet, ut potius utilitati ejus repugnet, ut cum persona imperantium mutantur leges, uti in *Dissert. de causis malorum &c.* demonstravimus. Qvod si ergo à summo imperio civili potestas ferendi leges abesse potest, de legibus quoque dispensandi facultas aberit. Porro confundi non debet, id qvod haud obscure hic fit, imperium summum cum absoluto, qui enim superiorum non habet, parem tamen habere potest, cuius opposito jure competens alteri potestas temperetur certisque limitibus coërceatur. Qvicquid adeo de natura est summi imperii civilis, id ubi inter plures idem divisum est, in solidum singulis tribui non potest. Ut enim qui partem imperii habet totum habeat contradictorium est. Habere autem Angliae Regem imperium non absolutum, sed limitatum, ac cum populo divisum, nec inter partes illius soli Regi concessas facultatem legislatoriam esse, in superioribus ostendimus. Unde sequitur, qvod quemadmodum jure Civilis imperii non nisi à Rege Populoq; Anglicano junctim leges feruntur, ita etiam non nisi ab utraque parte circa eas dispensatio fieri possit.

Cum qualemcumq; hanc partium summi imperii divisionem negare Jacobitæ non possint, negant tamen (2) paribus hic cum populo passibus Regem incedere,

cedere, sed jus huic competens ita semper eminere putant, ut sicubi cum jure populi contendatur, facile illud exsuperet, id qvod populum ipsum, dum supremi Domini titulo (*our dread Sovereign*) Regem salutet, agnoscere opinantur. Respondemus, inaequabilitatem dignitatis, qvæ inter Regem populumq; ipsi subiectum est haud obstat, qvò minus æqualitate juris in rebus certo pacto ac contractu definitis cum Rege populus gaudere possit. Hæc itaque miscenda nullo modo sunt, falsissimumq; est qvod supponitur, ubi æquali jure duo ad unam eandemq; rem concurrunt, unius partis jus tale tantumq; esse posse, ut jus alterius evertat, id qvod non obscuram contradictionem involvit. Vocabuli autem souverainitatis ambiguitas inepte hic captatur. Est enim duplex illius significatus modernarum gentium usu receptus, ut aut independentiam imperii civilis qvaliscunq; ab alio superiori, aut à legibus regni fundamentalibus liberam Regis atque Principis potestatem denotet. Prior sensus haud dubie antiquissimus & feudal iuri penè coævus est, in quo status illius, qvi à Domino feudi, ut ita dicam manumittitur & Vafallus esse desinit, souverainitatis elogio propriè mactatur, ut exemplum recentissimum est in historia Prussica atque Holstatica, ubi remissio nexus feudalis à regno Poloniae Daniæq; in gratiam Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici & Christiani Alberti Cimbriae Ducis facta Souverainitatem Borussiae Orientalis atq; Ducatus Slesvicensis nomine utriq; tribuit. Pari ratione, qvi ab omni feudali alioq; nexus civile imperium minente

CENSERE

ente immunis semper fuit, aliis qvi depresso*ri* conditio*n*e sunt o*p*positus, souverainitatem, i. e. nemini obnoxiam potestatem habere dicitur, q*uo* titulo minores principatus, q*vales* in Gallia sunt Arausisionensis atq*ue* Dombenf*is*, superbiunt, ne q*væ* ob angustiam territ*orii* amplissimi regni finibus conclusi in eos cadere poterat obnoxii status suspicio locum inveniat. Posterior sensus recentior est, nec ut arbitror eo tempore antiquior, q*uo* oppresa Parlamentorum autoritate Galliæ Reges pro arbitrio regnare cœperunt. Da*niæ* certè regno constat non prius q*vam* Friderico III. jura sua Ordines regni condonassent, dignitatem hanc souverainitatis accrescisse, vid. l' etat du Royaume de Dennemarck Cap. 7. & defense de Dennemarck Cap. 7. ad-datur Beermann. Orb. Geogr. & Civ. p. 619. Posterior hic sensus priorem plerumque includit, sed prior posteriorum neq*ua*qvam comprehendit. Nam & Fride-  
ricus Wilhelmius supremi in Borussiam imperii jus adeptus vi articuli noni pactorum Velaviensium. : Serenissimus Elector ejusque descendentes masculi Barones, No-  
biles, Civitates & Magistratus ac subditos omnes Prussia cuius-  
cumque gradus ac conditionis sint in avitis receptisq*ue* privilegiis,  
statutis, juribus ac libertatibus huic conventioni non derogan-  
tibus conservabunt ac manuenebunt, &c. Ordinibus ejus  
provinciæ, q*væ* ante habuerant privilegia confirmata-  
vit, vid. Pufend. rerum Brandenburg. Libr. IX. §. 55. & de  
Christiano Alberto Holsatiæ Duce in ipso diplomate  
souverainitatis Slesvicensis, q*uo*d extat Theatr. Europ. Tom.  
8. p. 773. Ieq*ue* disponitur hisce verbis : Editen das  
Herzogthum Schleswic*h* . . . . cum domino directo &  
utili,

utili, wie auch sonderlich sublimi superioritatis plenissimo jure, die souverainitat genaudt / mit allen Ehren/ Würden = = = doch daß dem Adel / Städten / Bürgern und gesamten Unterthanen ihre Güter / possessiones, wohlerfessene libertet, Gerechtigkeit / privilegien in Ecclesiasticis & Politicis ohne Hinderniß ungesträngt verbleiben ic. cui conditioni ex asse satisfactum esse praefens. Ducatus Slesvicensis status summa libertate gaudens testatur. Ex quo interpretationem capiunt verba, qvibus Friderico Wilhelmo in dictis pacis Velavensburg Articulo quinto cum jure supremi dominii *unum*-*ma* atque *absoluta* potestas collata dicitur, qvemadmodum & §. 3. pactorum Labiavensium, qvarum itidem exemplum exstat ap. *Pufend.* l. c. §. 45. conventum erat, ut idem esset & maneret Princeps *summus*, *absolutus*, & souverainius, itemq. §. 4. ne in aliquo *summe* & *abso-**lute* potestatis exercitio turbaretur, cum non alia hic qvam à fiduciario nexu, qvi ante fuerat, absolutio intelligi possit. Qvando itaque Angli blandum illud Souverainitatis vocabulum Regi suo tribuunt, id tantum agunt, ut nec Imperatori Romano in civilibus, nec Rom. Pontifici in Ecclesiasticis rebus eundem subesse testentur. Hinc & Imperialis Angliae corona (*the imperial crown*) publico Ordinum decreto appellata, vid. *Chamberl. presens status Engl. P. I. p. 69.* & Reges ipsi Imperatorum nomine subinde salutati, vid. *Bcam. Syntagm. Dignit. Illustr. Disserit. I. Cap. II. §. 6.* cuius dictis addi potest inscriptio statuae Carolo II. in foro locoq. congreßus mercatorii Londinenſis positæ, qvalis qvidem anno 1699. ibidem adhuc exstabat:

Carolo

Carolo II. Cæsari Britannico, Patriæ Patri, Regum Optimo, Clemensissimo, Augustissimo, generis humani deliciis, utriusque fortunæ & victoriæ, pacis Europe arbitro, maris Domino ac Vincit dicitur societas mercatorum Adventur. Anglie, q̄a per CCC. etiam prope annos Regia benignitate floret, fidei intemerata ac gratitudinis aeterna hoc testimonium venerabunda posuit anno salutis humanae 16. . . .

Ne quoqve Pontificiæ authoritati in Anglia locus esset, solenne suprematus, qvod vocant, juramentum ab omnibus omnino subditis ad officia publica admittendis præstari debet, nec revera qvidqvam inter Souverainitatem atqve Suprematum (*Supremay*) Angliæ differentiæ est, nisi qvod suprematus peculiari sensu ad solum Papam, Souverainitas ad Imperatorem ut & alios qvosqve extraneos Principes, qvos inter itidem Papa est, communiter referatur. Vid. *omnino Chamberl. pref. Stat. Angl. l. 6. & Bentham. Englisch. Kit- chen- und Schulen-Staat / p. 393.* Qui ergo à Papa atq; Cæsare non pendet, is propterea ab obligatione fundamentalium regni legum pactorumq; & contractuum cum subditis suis initiorum non est immunis, nec adeo qvidqvam per ea sibi ademptæ potestatis usurpare jure potest.

*§ 23. In quoq; illi nec fieri posse credunt ut per Leges regnum fundamentales Legislatoria Regibus potestas adimatur, velut qvæ in ipsa regni natura, divinitus saltem ipso attributa, ita insit, ut quemadmodum nulla alia Lex est, qvam qvæ à Rege atqve Principe proficiscitur, ita nec Rex aut Princeps esse possit, qui*

F

con-

condendarum legum potestate destituatur. Si quis probationem tanti talisque asserti exigat, plerique omnes ad Jacobi Usserii autoritatem, librumque ejus de potestate Principis Part. I. §. 23. securi provocant, ubi idem invictis atque irrefragabilibus argumentis demonstratum sit. Sed nobis argumenta illa Usserii nil quidquam tanto Viro dignum videntur continere. Qvod enim primi<sup>o</sup> urg<sup>e</sup>t Psalm. LX. 9. in versione Bibliorum Anglicana dici: *Juda is my Lawgiver, Juda est Legislator meus*, qvam vocem Græcus Latinusque Interpres ita reddat: *Juda est Rex meus*, id si obtinet, nobis qui Lutheri versionem nihil Anglicana inferiorem sequimur, *Juda ist mein Fürst*/ concludere inde licebit, qvod nemo sit Princeps, qvin idem Rex sit. Qvod porro varia Patrum loca allegat, qvæ itidem de Principe Legislatore loqvuntur, verbaque præsertim Augustini in Job. Tract. 6. citat: *Divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in legibus Regum*, & paulo post: *Ipsa iura humana per Imperatores & Reges Seculi DEUS distribuit generi humano*, itemque Epist. 48. ad Vincent. *Jus humanum in potestate est Regum terra, & præterquam qvod quantumvis venerabile Episcopi Hipponensis nomen ad probandam politici dogmatis veritatem non sufficit*, sine dubio non de alio qvam cui ipse suberat Reipublicæ statu. Augustinus loqvitur, præter qvem alias & ab isto planè diversas Rerumpublicarum formas dari constat, nec insolens est, ut Regum nomine qvicunque Rempublicam regunt promiscuè designentur. Quid ad dicta Justiniani Cod. de Vet. Jur. Encl. L. 3. & Alexandri Comneni Novell. de Solut. Sponsal. itemque Plutarch. ad Prince.

*Princ. Indoct. reliquaq; ibidem undiqvaq; collecta authorum loca respondendum sit, ex persona loquentium eorumque quos alloqvuntur, ut & iis quae de Augustino tetigimus, haud difficulter judicabitur. Qvod si autem crude ista omnia accipienda quis pertendat, sequetur inde qvod ab omni ratione alienissimum est, in Republica Aristocratica atq; Democratica nec facultatem legislatoriam nec adeo leges dari. Sed nolumus iis immorari, ne in exagitandis Viri alias doctissimi naevis voluptatem capere videamur, cum præsertim liber iste posthumus sit, & ut suspicamur non sine maturo Authoris Reverendissimi confilio suppressus, quem ut fieri solet hæredes male seduli aut clarorum virorum rejectanea captantes typographi in lucem protraxere. Nec ut aliter sentiamus præfatio Sanderoni, Episcopij amatum Lincolniensis, Usseriano operi præfixa à nobis impetrat, quem quantumvis præstantem fama atque meritis Theologum certum est solida doctrinæ politicæ fundamenta Usserio nihilo rectius calluisse.*

## §. 24.

Sunt (4) qui dicant, cum ipse solitus sit legibus Angliae Rex, conveniens esse, ut idem quoque alios solvere lege possit. Ut hujus ratiocinii imbecillitas recte intelligatur, notandum est triplici ratione, ut quis ab obligatione legum immunis sit, posse contingere. Aut enim in hominem privatum, aut in eum qui legislatoriæ potestatis partem tenet, aut in legislatorem ipsum id cadit, adeoque ex diverso pro personarum ratione fonte profluit. Inter privatos quando

F 2

quis

qvis ab obligatione legis eximitur, peculiari id fit beneficio legislatoris, qvo ut perinde alii fruantur necesse non est, saltem ille, de qvo dispensatio facta fuit, dispensare de aliis non potest. In distributione partium summi imperii, qvicunque legislatoriæ potestatis subdivisione factâ partem ejus accepit, qvem admodum illi, cui altera pars obvenit, obligationis qvidqvam impingere non potest, ita ipse qvoqve ab altero obligari neqvit, sed conjunctim ab utroqve lex lata tertium stringit, qvem adeò alter sociorum invito altero lege ea exsolvere non potest, si præsertim actus, qvi uno indulgente suscipitur alterius detrimento cedat. Ratio itaqve ejus ab obligatione legum immunitatis, qvæ de potestate Legislatoria participantibus competit, hæc est, qvod qvi distinctas summi imperii partes suo jure tenent haec tenus pares sunt, obligatio verò non est nisi ex lege; Iex porro superiorem ponit, & si à pluribus proficiisci debeat, separato singularum actu effectumq; adeò sortiri non potest. Ut autem à præscripto latæ legis subditus immunis sit non alia ratione fit, qvam vinculi, qvod per legem injicabantur, relaxatione ab iis, qvi authores sunt legis, facta. Hinc adeò patet seqvelæ plane nihil esse si qvis ita colligat: hic homo in eo est statu, ut obligari lege neqveat, ergo idem jus habet eos, qvi lege utiq; obligantur, eadem exsolvendi. Si qvis verò solus legislatoria facultate polleat, de eo dubium non est, qvin & ipse lege illa, qvam subditis proponit, solutus sit, & solvere eadem qvosq; unius de numero subditorum voluerit possit. His præsuppositis facile ad hypothesin descen-

descendetur. Primus enim atque tertius ~~casus Angliae Regi~~, de quo loquimur, non competit, uti partim ex supradictis, partim è re ipsa patet, medius vero si obtineat, falsissimum utique est Jacobum II. ideo quod ipse civilibus Angliae legibus velut legislatoria potestatis partem habens non teneretur, iisdem legibus suo arbitrio, non requisito aut admisso Parlamenti, quod alteram legislatoria potestatis partem tenet, consensu solvere Anglos potuisse.

§. 25.

Qui (5) non magis ad rigorem juris exferendum quam ad eundem certa ratione mitigandum Regem Angliae teneri, idemque in coronatione Regia præter solennia verba adhiberi solita, de quibus diximus §. 18. prælato Sancti Eduardi primi Angliae modernæ legislatoris gladio acie atque cuspede retuso, quem Curtanum (*courtein*) dicunt (vid. Watson. in Glossar.) designari putant, hincque adeo dispensandi jus Regi competere opinantur, illi manifestè aggratiationem cum dispensatione confundunt. Illa ad executionem legum latarum, haec ad legislaturam ipsam pertinet, illa uti Angliae Regi propria, ita haec cum Parlamento eidem communis est, nec quidquam repugnare, ut quicunque legislatoria facultate plane caret aggrediandi jus habeat, exemplo Principis Arauionensis Reipublicæ Belgicæ Praefecti nuper patuit.

§. 26.

Non desunt (6) qui ratiociniis parcentes præscriptione immemorialis temporis Regem hac in re tueruntur, exempla Regum, qui facultate dispensandi usi sint

F 3

popu-

populi circa id ipsum patientiam allegantes. Notandum est autem inter solos privatos præscriptioni locum esse, nec inter principes liberosque populos exercere vim suam posse, cum nemo sit, qui ipsis jure aliquid præscribere metamq; controversiarum statuere pro imperio possit. Qvæ ratio est, qvare & Romana Juris prudentia, qvæ mater præscriptionis est, res atque jura fisci ab eadem libera pronunciet, cui asserto qvam maximè id congruere videtur, ut nec res vel jura ad populum liberum Principi contradistinctum universim pertinentia præscribantur. Si cui tamen ad leges privatis positas qualicunq; modo attemperare Principum jura placeat, illi faltem in præsenti casu ad Juris prudentiam Anglicanam unicè respiciendū erit. Primo autem illa id peculiare habet, ut immemoriale tempus non sola hominum viventium recordatione, sed memoria rerum gestarum qualicunq; modo inter homines exstante definiat, atque inter memoriam naturalem & legalem distingvat teste *Eduardo Cook. in Institut. fol. 150.* Unde sequitur, si ex historicorum fide dignorum scriptis initium temere à Regibus usurpati dispensatorii juris demonstrari possit, intra memoriam hominum id tempus, nullamque adeo præscriptionis vim esse. Posse autē hujus rei initia demonstrari, nec Henrici III. regno antiquiore aut certe Richardi I. ætate juniores illam dispensatorii juris sive affectionem sive usurpationem esse, in sequentibus ostendemus. Deinde & jure Anglicano præscriptio contra statutum postea editum non valet teste *Covillo Institut. Lib. II. Tit. 6. §. 12.* atqui circa rem præsentem statutum Henrici VIII. exstat, qvo dispen-

dispensandi potestas de civilibus legibus Regi atque  
populo Anglicano tribuitur, de ecclesiasticis autem  
Archiepiscopo Cantuariensi delegatur. Probabile vero  
non est, in communionem sui juris aut populum aut  
Archiepiscopum nulla cogente necessitate Henricum  
fuisse admissurum, siquidem is ipse immemorialis tem-  
poris præscriptione niti potuisset, aut si ea præscriptio  
ad usque Henrici tempora defluxit, intercedente tamen  
statuto per eum condito facultas successoribus periit  
ad eandem amplius provocandi. Qvæcunque de præ-  
scriptione diximus, contra eos quoq; valent, qvi inter  
prærogativas Regias (qvo nomine jura Angliae Regum  
Majestatica appellantur) dispensandi facultatem refe-  
runtur. Cum enim omnes illæ prærogativæ conser-  
tentibus Angliae JCTis aut ex communi Gentium jure,  
aut statuto peculiari, aut immemorialis temporis præ-  
scriptione arcessendæ sint, posterius quidē hic fieri nulla  
ratione posse ostendimus, qvandoq; idem ergo nemo  
est, qvi ad statutarium jus Regi favens provocet, nec  
in communi Gentium jure, qvod cum naturali coincidit,  
uti superioribus s. s. ostensum est, qvidqvam  
qvod huc pertineat deprehenditur, tuto inde colli-  
gimus Regi nullam distinctam à corpore populi dispen-  
sandi de legibus facultatem per modum prærogativæ  
qvaliscunque adscribi posse.

§. 27.

Qvod (7) quidam ita argumentantur: Obtinuisse  
in Anglia superioribus seculis dispensatoriæ Papæ  
potestatem, abrogato Papismo jura omnia Papalia  
accrévise Regi & per publicas regni leges ipsi tribui,  
unde

unde planum esse ajunt dispensatoriam circa leges facultatem eidem competere, id altius penetrat, adeoq; & curatus est confutandum. Quantum ad dispensationes Pontificias attinet, in iis usus ab abuso follicite est distingvendus, nec minus inter objecta illarum dispensationum differentia est constituenda. Initio itaq; non appareat circa alias qvam Ecclesiasticas LL. atq; indulgentias Papales dispensandi facultate Papam usum esse, id qvod suo jure fecit, qvod nemo Pontificius aut tunc negavit, aut in dubium hodienum vocat. Ex usu illo legitimo in abusum deinde res illa transit, ut & freqventius qvam par est & levioribus de causis Canonici juris vinculum laxaretur, & paulatim ad res non minus civiles qvam sacras, aut certe eas, in quibus Ecclesiæ atque Reipubl. conjunctissima est ratio, manus porrigeretur. Nec utrobiq; qvidqvam ulterius reqviri ad autoritatem iniquissimis quoq; mandatis suis conciliandam Papæ arbitrabantur, qvam ut iisdem formula hæc: *non obstante* hac vel illa lege atque indulgentia, aut indulgentia & legé qvacunq; insereretur. Qvæ res post aliqualis temporis patientiam male Anglos habuit eoq; adduxit, ut anno 1245. sedente Concilio Lugdunensi I. cum Innocentio IV. literis ad eum nomine *Magnatum & universitatibus regni Anglie* datis acriter expostularent, cumq; parum id proficeret, Procuratores Regii habita ad Concilium oratione seriam & gravem prioribus querimoniam adderent de violenta oppressione, intolerabili gravamine, & impudenti exactione & injuria, qvæ per banc invisam adjectionem Papalibus literis freqventer insertam (non obstante) exerceatur, per qvam

quam jus pro nibilo babeatur & autentica scripta enerventur,  
teste Matth. Paris. in Hist. Engl. ad b. a. Cum ne hac  
quidem ratione à Pontifice, ut illa dispensandi licentia  
se abdicaret, impetrari posset, ad Parlamenti confessum  
rem retulit Henricus III. anno 1246. acriter questus:  
Gravari Anglia regnum ex multiplici adventu illius infamie  
nuntii (non obstante) per quem juramenti religio, conse-  
tudines antique, scripturarum vigor, concessionum auctoritas,  
jura & privilegia debilitantur & evanescant, quo insinuit de  
regno Angliae oppressi sint graviter & afflicti, vid. idem ibidem  
p. 677. Quae querela Romam delata tantum abest ut  
Pontificem moveret, ut is potius anno seqventi per  
Johannem quendam ex ordine Minorum tributum  
gravissimum Clero Anglicano indiceret, addita clau-  
sula (quam subinde detestabilem Matthæus noster  
vocat) quilibet privilegio seu indulgentia quilibet non obstante.  
Paulo post anno 1250. homini Italo beneficium Eccle-  
siæ Anglicanae Papa tribuit, non obstante, ut ait, illa indul-  
gentia, per quam Anglis est indulsum, quod Itali Clerici dece-  
denis beneficium vel cedentis alius Italus immediate nequeat  
obtinere, sive aliqua alia, per quam ista collatio seu assignatio  
valeat impediri vel retardari. Vid. idem ibidem d. l. Imme-  
dicabile ergò malum cernens Henricus III. ut fieri solet  
imitari Papam constituit, cuius porro exemplum alii  
Reges secuti sunt, id quod accurate notat in vita ejus  
Matthæus ad annum 1251. dum ait: Detestabilem illam adjec-  
tum non obstante in curias quoque laicorum capiose derivari  
sensimq; literis regis insertum, ut non obstante priori mandato  
contrario, vel non obstante antiqua libertate, hoc vel illud  
faciendum aut omittendum ediceretur. Ex his omni-

G

bus

bus quid pro jure dispensandi Regi Angliae afferendo  
confici queat non videamus. Primo enim legitimum  
illud dispensandi jus, qvod de Ecclesiasticis legibus  
Papa habuit, in Henricum III. aliumve Angliae Regem  
Pontificiae religioni addictum ex ipsius cessione vel  
communicatione non transiit, nec mera alieni exempli  
imitatio jus facit. Deinde abrogato in Anglia  
Papismo propriè loquendo legum quoque Papalium  
vis exspiravit, adeoque & dispensatoria circa easdem  
facultas, ut & ejus exferendæ occasio extincta fuit.  
Qvod autem pars quædam Juris Canonici, velut Scri-  
pturæ S. primitivæ Ecclesiæ placitis, ipsiisque rationi  
sit satis consentanea, uti aliis in locis Protestantium  
ita & in Anglia retenta fuit, atq; vim legis hodiernum  
habet, id à libera Henrici VIII. populique per Parla-  
mentum repræsentati, recipientis eandem atque ado-  
ptantis, voluntate est, quæ effecit, ut qvod ante pro  
opinione Patrum Paparumque valere poterat, natu-  
ram indueret civilis legis, quæ quanquam Canonica  
(Canon law) adhuc vocetur, id tamen ad originem ejus  
non verò auctoritatem denotandam pertinet, nec  
Ecclesiastica eadem, nisi ab objecto cognominatur.  
Ast circa civilium legum præscripta laxanda nihil  
quidquam Angliae Regem posse demonstravimus.  
Nec verò exercitium illorum qualiumcumque statuto-  
rum atque jurium Papalium Regi, sed ArchiEpiscopo  
Cantuariensi datum fuit, ipso ita statuente Henrico  
VIII., qui Papismum abrogavit, unde & in rebus  
matrimonialibus similibusque dispensandi facultatem  
hodiernum idem habet, quam partim ipse, partim per  
Procu-

pus

Procuratorem exercet, videatur Stat. XXV. Henr. VIII.  
apud Chamberl. Stat. present. Angl. Part. I. p. 192, seqq. cum  
quo consentit. Dn. Bentham. l.c. p. 209. his verbis: Er  
(der Erz-Bischoff von Cantelbury) kan in allen Dingen  
dispensation geben welche nicht wieder GÖTTEs  
Wort und des Königes prærogativ lauffen z. e. daß ein  
Clericus ein beneficium in commendam hat / daß ein  
solcher z. beneficia cum cura animarum hat / daß ein  
solcher in gewissen Fällen sey non Resident, daß alle  
Kranke und Schwangere Fleisch essen mögen am ver-  
bohtenen Tagen/ alle welche dispensationes Er selbst oder  
durch einen deputatum, Master of faculties, austheilet/in  
allen Ihr. Maj. zugehörigen Landen/das einzige Schott-  
land ausgenommen. Qvod vero alicubi de juribus  
Papalibus Regi accrescentibus dicitur, id partim de  
reditibus atque obventionibus, qibus sacerdotalis  
solertia originem dedit, intelligendum est, loquendi  
genera Germanis quoque non inusitato, ut solennis  
præstatio eine Gerechtigkeit vocetur, partim eo per-  
tinet, ut delegatam atque dependentem à Regia di-  
gnitate Archiepiscopi Cantuariensis auctoritatem esse  
ostendatur, quo sensu Ecclesiæ Anglicanæ caput Rex  
dicitur. Id denique plane à ratione abhorret, ut per  
Reformationem Religionis id Regi dicatur accessisse,  
quod ante eam nullo ad Papam jure pertinere, qui  
tum fuerunt Reges una cum populo protestati sunt.  
Abusus sane Ecclesiasticæ potestatis civilis imperii fa-  
cultatem minimè auget, nec quod ad injuriam à Papa  
illatam spectat, id inter jura Regia locum invenit.  
Saltem absurdius nihil est, quam si Regni à Papismo  
cor

alieni caput ad Papæ auctoritatem provocare velit. Nec melius res habet, si forte in Anglia Princeps Papæ religioni addictus rerum potiatur, qviniq; potius populo, ut tanto acrius Papismo Regio contradicat, an fam præbet, de cuius sacris actum foret, si, e. g. circalleges reformatam religionem munientes & adverfus Papismum directas dispensandi facultatem Rex sibi arrogare possit. Atq; id ipsum est, qvod in casum Jacobi II. res dedit. Est enim inter sanctissimas Anglia leges, ut nemo Pontificiæ Religioni addictus officio publico fungi queat. An verò superstitioni Pontificiæ addictus quis sit nec ne ut indubie cognoscatur, intra semestre spatum à susceptione officii publici certum ei juramentum præstandum est, qvo dogma præsertim Transubstantiationis cultumq; imaginum damnat & auctoritati Papæ renuntiat, & deinde ad S. Cœnam Anglicanæ Ecclesiæ more publicè est accedendum, qvod qui facere negligit mulcta 500. librarum sterlinensium soluta eò qvod involavit munere dejicitur. Ratio hujus legis manifestissima hæc est, ne ex abusu legitimæ potestatis nocendi Protestantibus & sub jugum Papæ reducendi regni occasio Papicolis enascatur. Nec qvidquam lex illa iniqui habet, cum & publicam Religionis Pontificiæ professionem & privatum ejus exercitium, existimationem integrum & securam bonorum possessionem iis relinquit, honores autem mandare Respublica cui velit possit. Postquam autem Jacobo II. vesanum illud consilium aut oppetendæ mortis aut restituendi in Angliam Papismi (Vid. Bentham, l.c. p. 638.) in mentem venit, ut unicum hoc

hoc Papismi repagulum atque Reformatæ Religionis propugnaculum demoliretur, dispensandi circa hanc legem auctoritatem sibi vindicavit, cui ut locus esset, tentandæ populi patientiæ, cuidam Eduardo Hale tribuni militaris munus commisit, qvi cum Pontificiam Religionem apertè profiteretur à subornato, ut creditur, auctore Arthuro Goddeno in jus vocatus sententia judicium Regi adulantium absolutus, Regi jus dispensandi circa hanc legem adjudicatum est. Qvo successu ille lætus & reducendi non solum Papismi, sed & obtainendi per Pontificios absoluti imperii spe plenus dum strenue dispensare pergit, contradicente acriter populo & libertatem propugnante, Rege autem cedere nescio, res eum tandem sortita est eventum, quem sera Jacobi pœnitentia & exilii perpetui miseria nobilitavit.

§. 28.

Atque illa sunt, qvæ pro vindicanda Regi infinita dispensandi facultate vulgo jactari videas. Supereft ut paulo moderationi dicitantibus auscultemus. Quidam eorum de variis casibus dispensationem admittentibus, qvidam de hoc unico qvi exitiosam Jacobo II. controversiam suscitavit, loqvuntur. Prius qvifaciunt distinctione utendum censem inter malum prohibitum malumqve per se tale. Malum prohibitum id vocant, qvando res per se indifferens, nec ulla divina lege, naturali vel positiva, definita ob intercedens legislatoris civilis interdictum mala evadit. Malum per se vocant actionem, qvæ ante omne statutum civile eandem vetans ex præscripto divinæ legis mala

G 3

jam

jam erat. Exemplum prioris apud ipsos est cedere monetam, posterioris cædem facere. Atqvi circa illud dispensare posse Regem, circa hoc non posse assentunt. Probationem asserti petunt ab auctoritate JCorum Angliae, qvi à tempore Henrici II. plerumque illo & loqvendi & sentiendi genere utantur. Resp. Qvantum annales Henrici VII. ita loquantur atq; sentiant, nec pauci veterū Doctorum idem fecisse legantur, momentum tamen, qvod præsenti causæ inde petitur, opposita auctoritate aliorum haud qvaquam inferiorum doctrina atq; dignitate virorum facile elevari posse, qvi ab illo loqvendi genere non solum abstinuerunt, sed & abstinentium omnino esse rationibus evicerunt. Qyas inter præcipua hæc est, qvod obscura hæc distinctio sit & perpetuis dubiis involuta, donec inter homines qvid naturali atq; positiva divina lege prohibitum sit nec ne ad liiquidum perductum fuerit, id qvod probabile est futurum nunquam, e.g. tollere veram religionem id sine dubio pro malo per se habebit qvicunq; pro vera illam religionem de qua qværitur habet, sed qvid qvælo fiet si pro hæresi aut schismate eandem venditet Dispensator? Ipsa qvæ ab adversa parte adducta sunt regulæ exempla dubio certe non vacant. Antequam enim in Anglia suspendi poena monetæ publicæ privatum signum nummo imprimeretur, probari non potest, certumq; est post civitates constitutas inventumque nummum, ipsa earum rerum natura prohiberi, ne tale qvid privato unquam liceat, adeoque hæc res pro mala per se haberri potest. E diverso occidere

privata

privata auctoritate inimicum per se minimè est malum,  
sed ante constitutas civitates justa de causa licitum,  
& alicubi etiam post eas constitutas indulsum lassis fuit.  
Quare id autem ubiq̄ non liceat, nulla propior atq̄ uni-  
versalior est ratio, qvam qvod authoritati suæ atq̄ tran-  
qvillitati civitatum studentes Reges Principesq; capi-  
talibus præstitutis pœnis id probubuerint. Ne de ipsa  
phrasι *per se statis*, qvæ Philosophia Scholasticæ fordes  
redolet, dicamus, de qya qvid sentiendum sit adver-  
sarios suos docuit Pufendorfius in Erid. Scand. passim.

S. 1. 29.

Alii alia distinctione utuntur, hac nimirum: Si  
qvæ lex sit lata pro bono, ut loqvuntur, singulorum  
populi, dispensari de eadem in præjudicium eorum  
qvorum interest à Rege haud posse fatentur, sed in  
ea, qvæ pro bono populi, uti ajunt, complicati facit, di-  
spensioni locum esse putant, id qvod iterum allegata  
clarorum virorum auctoritate probant. Si qvis ca-  
villari hæc verba velit, hanc esse adversariorum Phi-  
losophiam dicet, ut unum qvidem hominem interfici  
Rex pati nequeat, sed ut universus populus interne-  
cioni detur à facultate ejus non esse alienum: si de li-  
bertate civili atq; facultatibus paucorum subditorum  
agatur, cautione adversus licentiam Regiam opus esse,  
sed libertatem conscientiæ atque Reipublicæ universæ  
publicamq; adeo salutem libidini Regis rectè permitti.  
Nobis vero non qvam incommodo loqvuntur, sed qvid  
verè senserint qv̄ primi illa vocabula usurparunt vide-  
tur dispiciendum. Id ergò probable est eos voluisse,  
si qvæ laxatio legis certo homini damnum directe infe-  
rat,

rat, fieri eam à Rege non posse, e. gr. post indulatum alicui monopolium non potest à Rege, ut qvæ monopolio substant merces ab aliis importentur venumqve exponantur, permitti: sed si damnum è laxatione legis emergens populum universum afficiat, qvo casu distributione illius instituta vix quisquam idem sentit, in potestate Regis esse, ut è re nemini onerosa insigne cuiquam commodum dispensatione facta conciliet, e. gr. si ad certum tempus generatim interdicta sit certæ mercis importatio, si Rex eam uni vel alteri certis de causis permittat, res tanti non est, ut populus universus ad se id pertinere arbitretur, & cum nemini privato damnum directè detur unus qvoq; præ altero ea de re conqueri non potest, unde nemine reclamante facile factum Regis dissimulatur aut defenditur, & ut verbo dicam leviora non curantur. Sed si vel maxime hæc omnia illa conferunt. Non enim perinde res habet cum introductione novæ religionis atq; importatione certarum mercium prohibita, siquidem qvod ex priori redundant potest damnum universam Rempublicam, aut certe potissimum populi partem, qvæ pro universa Republica valet, tangit: Non distribui illud periculum minuit, sed auget, nec solum ad universos, sed & singulos pertinet, cumq; vitæ, existimationis & bonorum omnium rationes statui religionis implicitæ sint, aut esse possint, qvæ fatentibus adversariis libidini Regiae permitti nulla ratione debent, locum hinc sane dispensatio non habet.

§. 30. Sunt

§. 30.

Sunt porro qui aliqualem dispensandi potestarem eam ob rem Regi tribuunt, qvod nulla tam commoda lex sit, qvæ non aliquando temperamento indigeat. Sed hoc argumentum eò tantum valet ut dispensatione interdum opus esse arbitremur, qvod vero temperandarum legum potestas in Anglia soli Regi competit probari eodem non potest. Deinde temperamentum lex non admittit nisi in casu à legislatore minus præviso, unde seqvitur, qvod in casu ordinario, cuius futuram existentiam manifestè ob oculos habuit, & cui directè legem opposuit legislator, mutatio nulla locum habeat, ut qvæ non temperaret legem, sed debilitaret ac convelleret. Atqviut Pontificii ab administratione publicorum munerum adeoq; & Parlamenti confessu excluderentur scopus erat legislatoris, cui contrarium indulgere ad legis ipsius dissolutionem pertinet. Nec qvalecunq; incommodum, qvod ex lege qvadam ad paucos promanare creditur, idoneam mitigandæ illius causam dat, cum qvod inde damnum privati sentiunt publico commodo pensetur. Nec vero pro ita gravi incommodo Pontificia seftæ homines id habere possint, qvod nil nisi occasionem ipsis admit majori Protestantes incommodo mactandi, adversus qvos infestiani animi sui indicia vice plus simplici ediderunt.

§. 31.

Qvod quidam dicunt naturali juri, cui per statuta civilia derogari nequeat, id adversari, ut ministerio subditorum imperans privetur, ubi ad obeunda publica munia iidem idonei sint, nec in sè quidqvam qvod cul-

H

pari

pari possit habeant, quam quod diversa de divinis rebus  
persuasione sint imbuti, id inane est. Quanquam enim  
in natura imperii civilis regulariter id insit ut subditorum  
ei obedientia respondeat, nec adeo in potestate eorum  
sit requisitum ab imperante obsequium detrectare,  
nihil tamen impedit, quod minus imperans pacto obli-  
getur, ut certorum hominum in certis rebus ministeria  
nec requirat, nec admittat. Non derogant quidem  
statuta civilia praecepsis juris naturalis; sed jure naturae  
permisis modum recte statuunt. Sola quoque aptitudo  
quemadmodum ad aliquid habendum aut agendum  
perfectum nemini jus dat docente *Grot. de Jur. B. & P.*  
*L. 1. 4. seqq.* ita nec ei, qui dignus officio quodam est, ejus-  
dem collatio debetur. Vid. *id. 16. II. 17. 3.* Tantumque  
abest, ut omnis circa res divinas dissensio innoxia, ut  
sepius inter causas atque incitamenta turbarum religio  
sit. Quicquid sit in potestate certe Reipublicae est quibus  
ad honores & officia aditum patefacere aut occlu-  
dere velit certis requisitis propositis definire, quae si  
quis sibi sive casu, sive culpa sua deesse videat, is quod  
fortunae suae, quod sibi imputet, non quod de injuria  
per Rempublicam sibi illata conqueratur, habet.

§. 32.

Sed durum est, inquit hoc modo facultatem omnem  
peculiaris benevolentiae atque fiduciae testandae, ut &  
dignitatibus illos quos amet maestandi Regibus eripere,  
ministrosque ipsis à quorum opera abhorreant obtrudere.  
Nos vero uti non negamus affectibus quoque Reges duci,  
ita fas neutiquam putamus, ut quae privatis hominibus  
reliqua est contrahendae atque firmandae amicitiae libertas  
fasti-

fastigio huic detrahatur, existimamus autem per ministeria aulica & domestica obseqvia, qvorum dispensantur plenissimam libertatem Angli suis Regibus concedunt, expleri hunc amorem posse. Nec alia exhibendi honoris atque beneficij materia Regibus deest, si vel maxime ad publica Republicæ munia certos homines non admittant. Non solet qvoq; peculiaris ille Regum affectus nisi in paucissimos ferri, circa qvos exceptior nem haud difficulter Respublica admittit, quando vero idem ad multos sectamq; certam propendet, inconsultum sane non est ut pars huic opposita suæ prospiciat securitati. Qvod si ergo per ingenii imbecillitatem Jacobo II. tanti erat, unum vel alterum Pontificie religioni addictum publico muneri præfectum intueri, poterat id facta ad populum intercessione impetravisse, ut autem casu Halesii Rex pro exemplo atq; fundamento infinitæ potestatis uteretur, statimq; septuaginta & tribus aliis ejus, qva Halesum solverat, legis veniam faceret (vid. Pufendorff. de Reb. Brandenb. L. XIX. §. 87.) adeoque inspectante populo legem planè convelleret, id, cum præsertim & adversus alia libertatis atq; religionis Anglicanæ capita grassaretur, dissimulari ferriq; non poterat.

## §. 33.

Quid si vero Rex dicat se præsumpta populi voluntate hac in parte niti, qvi cum ipsi Religionem Pontificiam aperte profitenti regnum permiserit, facile videatur passurus, ut qvæ summæ dignitati substantia officia ab eadem religione imbutis obeantur? non deerit sane populo qvod reponat. Ad præsumptam illius voluntatem

H 2

tatem

tatem male provocatur, ubi de expressa in contrarium exstante satiis constat, quam ne Rex ignoraret, monita non solum atque deprecationes primariorum virorum, sed vox ipsa populi minis non carens efficiebat. Cum Jacobus II. Regnum speraret, lex nulla quae Pontificiae Religionis Principem inhabilem throno declararet, erat, aut si quae fuisset, in potestate tamen populi erat eandem laxare, sed de non admittendis a Rege ad officia reliqua privatis Papismum sectantibus utique lex existabat, de cuius rigore nunquam populus remisit, quam Jacobus ipse dignitati Regiae admotus diserte eidem confirmavit, unde quare de voluntate ejus dubitaret aut a promissio recederet causae nihil erat. Si quid autem dubii fuisset quare Parlamenti sententiam Rex non exquisivit? quare aut convocare idem detrectavit, aut ut ipsis Pontificios atque Pontificiis faventes insereret, adeoque per Pontificios legem Pontificiis ingratam abrogaret intentatum nihil reliquit? id quod fecisse ipsum acta publica testantur.

**§. 34.**

Ast dicunt causae Regiae patroni, cum sanctio pena-  
lis legi adjecta commodo Regis in Anglia cedat, renun-  
tiare hunc juri suo posse, atque eo ipsis illum cui multa  
remittitur liberari, id quod in praesenti casu, ubi factio  
legi adverso 500. librarum Sterlinensium multa praes-  
tituta sit obtineat, quae remissa pro soluta habeatur.  
Resp. distingvendum esse inter actum contra legem ad-  
missum, & inter statum legi adversum. Si actum cuidam  
contra legem admissum multa praestituta sit fatemur re-  
mitti eam ab illo, cuius commodo cedit, posse, nec eo  
facto

facto quidquam amplius esse quod à delinqvente exigatur e. g. si per leges sumptuarias certis convivariis numerus sit definitus atq; eum excesserit convivator, sive multam eo nomine præscriptam solvat sive remissionem obtineat, liber est. Sed quando actus quidam continuus ipseque agentium status legi adveratur, solutione multæ semel facta sequentis temporis impunitatem nequaquam producit, nec adeò & remissio ejus multæ, ut jure id imposterum fiat quod omnino fieri leges vetant, efficit, siquidem id exactione multæ ut primi agitur adversus legem surgentis contatus insolentia expietur, non ut velut conuento quodam pretio peccandi licentia redimatur e. g. si per leges sumptuarias interdictum sit ne quis in urbe ad pompam curru vehatur, certa ei qui contra facere cœperit multa præstituta, persolutio illius multæ ne quicquam libertatem homini factuoso dabit ut imposterum curru uti queat. Sed quemadmodum ob actum illicitum semel perpetratum multa solvit, ita post solutionem multæ idem actus illicitus manet, gravioribus semper pœnis, ubi leviores non sufficerint reprimendus, nec stante illa lege pro legitimo unquam agnoscit potest. Id quod tantò magis obtinet, si non simpliciter lex aliquid vetet, sed & actum contra legem suscepimus irritum, ipsumq; agentem ad eum legitimè suscipiendum planè inhabilem declarat, cuius declarationis ea vis est, ut si quis nihilominus id agere præsumat, ad quod agendum potestatem sibi ademptam cernit, ob facti audaciam non solum multetur, sed & ab agendo cum ignominia prohibeatur, statuque quem temere occupavit dejiciatur. Namque manifestam contradictionem id involvit planè inhabilem esse ad aliquid agendum & persoluta multa habilem ad id reddi. Atqui lex illa Anglia de qua qualiterat id habet, ut primò omnes Pontificiam religionem sestantes ob hanc ipsam causam inhabiles ad obeunda qualiacunq; munia declarat, & deinde in eos, qui prohibitis munib; semet ingesserint, certa præfixa multa animadvertat. Dum itaque Rex multam hanc remittit, ut post remissionem factam homo Pontificius officio publico fungi queat nequaquam efficit. Illud enim ad jus aggrandi,

tiandi, hoc ad dispensandi facultatem pertinet; quorum illud Regi competere, hanc non competere, in superioribus demonstravimus. Tum quoque falsum est, commodo Regis in Anglia universim multas cedere, cum haec ipsa lex Papiculis adversa 500. librarum multam delatori tribuat, cui eam condonatione facta eripere Rex non potest. Ubincum autem commodo ipsius Regis multa cedit, sive ut eleganter Jurisprudentia Anglicana loquitur, ubi Rex creator est pene, quin debitori eam remittere jurique pro se introducto renunciare possit nihil prohibet, salva tamen legis quae pro sanctione multam habet, autoritat<sup>e</sup>.

## §. XXXV.

Denique qui rem ipsam defendere non possunt excusare eandem aggrediuntur, allegata partim nescio quae necessitate, partim compensatione damni, quod metuit, cum utilitate, quae ex laxata lege sperari queat, proposta. Sed quod de necessitate assertur, admitti non potest, nisi eadem vere adesset nec alia ratione superari posse demonstretur. Atqui cum Jacobus II. Pontificia Religioni faventes in Rem publicam Protestantium introducere laboraret, nulla ex horum numero idoneorum hominum penuria erat, quae publica patriæ negotia tractanda committerentur. De utilitate rectissime judicat is ad quem ea pertinere dicitur. Sed populus Anglicanus utilitate illa, quae ab exclusione Papicolarum sperari poterat, contentus majorem nec affectabat, nec à Rege requirebat, nec quisquam beneficio legis decedere cogi potest obtentu utilitatis quam neque cupit neque capit. Reliqua mittimus & ad Benhamii, supra laudatum librum ut & Burridg. Hist. sup. mut. in Angl. itemque Herberti atque Atkini de casu Halesii controversa scripta curiosum earum rerum Lectorem alegamus, quibus quae ratione quaque fide usi simus collatio docebitur.





Greifswald, Diss, 1702/05

ULB Halle  
004 564 162

3



TA → oC

nur 1 + 17 Stück verknüpft sind  
f

KO18





35 1705, 5 28

EXERCITATIO PHILOSOPHICA,  
DE  
**JURE PRINCIPIS  
DISPENSANDI  
CIRCA LEGES PRÆCIPUE  
POENALES,**  
Occasione Illustris controversia  
Anglicanæ,  
Cujus postremam Partem  
Auspice DEO Optimo Maximo  
Sub PRÆSIDIO  
VIRI AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,  
**DN. JO. PHIL. PALTHENII,**  
Historiarum & Moralium Professoris Regii Ordin.  
longe celeberrimi,  
In Alma Pomeran. Auditorio Majori  
ad diem Septembr. M DCCV.  
Publicæ συμφιλοσοφίας disqvistitioni  
submitit  
**JACOBUS BERNARDUS FROBOESIUS, G.P.**  
H. Lq. C.

*G R Y P H I S W A L D I A E ,*  
LITTERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
REG. ACAD. TYPOGR.

